CAELESTIS AQVILAE VIA

ORATIO DE ASCENSIONE DOMINI

Habita in Sacello Pontificio

CORAM

SS.D.N. INNOCENTIO X.

A D. BERNARDO COLLE, ET CAMPO.

Sacra Theologia, & V. I. Doctore & Tribunalis S.Officij in [illegible] Consultore.



ROMAE,

Apud Franciscum Monetam. MDCXLVI.

SVPERIORVM PERMISSV.

EMINENTISSIMO PRINCIPI,

AC DOMINO SVO

CAROLO S.R.E.

CARDINALI MEDICES

EPISCOPO TVSCVLANO.



D. BERNARDVS COLLE ET CAMPO ABSOLVTAM. P.P.



N ascendentis Christi triumpho deficientem orationem meam, qua poterat (Princeps Eminentissime) in Sacello Pontificio præsentia consolari simul ac tueri; quippe qua & Domini & Mecænatis Amplissimi munere, qua solet in me semper benignitate defuncta esset, Verum vbi primum tanto se destitutam solatio animaduertit, propriy non immemor officij ad Te calamo saltem adumbrata recur-

 rit,

ris; vt si eam non despicias, tua prorsus in aliorum conspectum prodeat. At ego interim Purpuratæ vestis fimbriam veneratus pro SERENISSIMA domo tua, felicique illius imperio iteratis Ascendentem in Cælum Deum, precibus prosequar.





ORA

ORATIO.



BDITA Cæli penetralia (BEATISSIME PATER) Magnarũ alarum conſcendit Aquila,cæleſtem diuinitus immiſſura Columbam: ſi enim non abiero paraclitus non veniet ad vos. Hanc Aquilam gratulabunda hodie toto Terrarum Orbe diffuſa, & cælesti ſimul ſpiritu cõgregata Catholica veneratur Eccleſia: nec mirum ſi promiſſa per Spiritum completurus aſcendit, qui cum ſit Sapientia Patris,multa tamen per eundem Spiritum edocturus in Eccleſia reſeruauit: cum venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem; prius etenim eleuatus eſt Sol, vt Luna deinde ſtaret in ordine ſuo. Quidquid Filius aſſeruit, cæleſtis ipſe Spiritus docuit, & quidquid diuino Spiritui Filius docendum ſeruauit, ſibi etiam Patris Vnigenitus docendum ſapienter diſtulit; imò & Pater Ingenitus:Pater enim meus vſque modo operatur & ego operor; nec vllum operoſæ naturæ diuinæ diſcrimen agnoſcimus, vbi vnicam penitus in Triplici Perſona ſubſtantiam concipimus; tribuantur, licet pro perſonarum diuerſitate varia in humanis conceptibus operandi genera. Vnus ergo

tan-

tantummodo relictus dubitationi locus videtur, cur potius Aquilę quam aliarũ auium species ascendentis CHRISTI similitudinem exprimat, quod duplici potissimum latitante mysterio factum arbitramur; Primum, quia Aquila Regio inter cæteras aues diademate redimita sublimiora petit, & qui inter homines tam humili loco stetit vt tenerrimus ligni vermiculus diceretur, iure quidem optimo ardua cæli secreta scrutatur, in ipsũ Diuinitatis conspectũ impeetrritam aciem velut Aquila defixurus: Pateat nunc æterni Patris sinus ingeminatis æternitatis amplexibus huic Aquilæ, quæ vulpium foueas & volucrum nidos ditissima repleta paupertie desiderauit. Deinde cum auis Regia dedignetur arrepta præda in terris potiri nisi illam prius ad altiora rapiat, quam bene hoc ipsum Seruatori Nostro congruit, qui ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem: sed nobili planè captiuitate ne dicam an rapacitate? & libera captiuitate, & amabili dicam rapacitate, sacra namque Doctorum Aquila Augustino teste, non trahit ac rapit nisi volentem, nec captiuũ reputat animum nisi currentem, & obstingi cupientem in vinculis noui Adam, in funiculis charitatis, verumque sanè experimento suo Regiua illa fatetur amantissimæ huic captiuita-

uitati addicta, vim namq; trahentis gratiæ CHRISTO ascendente persentiens, trahe nos inquit post Te, sed liberam socians voluntatem, suū illico adiecit cursum; in odorem curremus vnguentorum tuorum; sponte etenim currimus dum liberè trahimur. Inconfesso namque est apud omnes, amantium iter, si gressibus prosequi nō licet affectibus comitari debere; nec à patria sede diuelli patimur, quos diligimus nisi secum meliorem partem ex nobis amantem scilicet animum secum ducant, magnetis scilicet vim, vt Hieronymus innuit, imitatur amor, & occulta voluntatem virtute pertrahit. At ne vel latum vnguem ab Aquila discedamus, si rostro prius illa, antequam rapiat, prædam iaculatur; en cruento proprij sanguinis ore transfixa rapit mortalium corda suauissimo amoris vulnere, habet sua diuinus amor iacula, & ad dulciora quo magis pura, vnde mellito ingeminat ore Bernardus quas mihi sagittas memorant amatores mundi. Et tamen aderit post hæc qui respuat cū Aquila nostra æternum regnaturus ascendere? teterrimo iacebit potius scelerum carcere obstrictus, quam per immensa Regiæ cælestis atria per ipsa diuinitatis spatia diuagari? Agnosco malas veterati serpentis artes, qui ne solus supra pectus suum graderetur, socios quærit

qui

qui deseptis ingemiscant adhesit in terra venter noster, ac proinde iumentis insipientibus comparentur, quia cum in honore essent non intellexerunt. An amissa nobilitatis honorem Christianus intelligit; qui cum Patrem habeat in Cælum euntem, Tyrannum sequitur in Tartara deprimentem, cum possit post Patris ascensum in aureis Filiorum cælestibus croceis enutriri, fœdissima potius in terris amplexatus est stercora. Quod si perduellem Angelum derisit sanctissimus quondam Vates quomodo cecidisti de Cælo Lucifer, qui mane oriebaris, nonne deridendos putabimus eos, qui cum valeant supra Cæli cardines ambulare, post peccatorum suorum parietem stantes paulominus in Inferno habitant. Eia agite diuinæ volucrum Reginæ vestigia prosequamur ibi nostra fixa sint corda vbi vera sunt gaudia, quò etenim docente Gregorio præcessit gloria capitis, eò spes vocatur, & corporis.

qui despectis ingemiscant adhesit in terra cum ventri noster, ut proinde iumentis insipientibus comparentur, quia cum in honore essent non intellexerunt. An antiquæ nobilitatis honorem Christianus intelligit, qui cum Patrem habeat in Cælum euntem, Tyrannum sequitur in Tartara deprimentem, cum possit post Patris ascensum in aureis Filiorum cælestibus croceis enutriri, fœdissima potius in terris amplexatus est stercora. Quod si perduellem Angelũ derisit sanctissimus quondam Vates quomodo cecidisti de Cælo Lucifer, qui mane oriebaris, nonne deridendos putabimus eos, qui cum valeant supra Cæli cardines ambulare, post peccatorum suorum parietem stantes pauloministus in Inferno habitant. Eia agite diuinæ volucrum Reginæ vestigia prosequamur ibi nostra fixa sint corda vbi vera sunt gaudia, quò etenim docente Gregòrio præcessit gloria capitis, eò spes vocatur, & corporis.